

tius extinctum esse quam a voluntate extinguendi, dum ad extinguendum illum vim sufficientem non adhibeat.

Ultimo addo Concilium Valentinum, sub Benedicto II tempore Lotharii celebratum. Nam in capite secundo definit malos non ideo perire quia boni esse non potuerunt, cujus contrarium ex alia sententia nos inferimus; quia si absque determinatione a solo Deo boni esse non possunt, profecto qui illam non habent, ideo mali sunt, quia boni esse non potuerunt. Et in capite tertio refert et amplectitur definitionem Concilii Arausicani, anathemate ferientis eos, qui dicunt aliquos esse divina potestate prædestinatos ad malum, videlicet ut quasi aliud esse non possent. Nam hoc etiam ex illa sententia colligimus; nam juxta illam ex se prædestinavit Deus non dare istis auxilium efficax; ergo prædestinavit non facere illos bonos, quia non fiunt boni nisi per auxilium efficax; ergo prædestinavit eos ut perpetuo mali sint, quia non possunt esse boni, nisi ipse eos faciat, nec possunt non esse mali, si non sint boni. Denique capite sexto, doctrinam de gratia per quam salvamur credentes, et sine qua rationalis creatura nunquam beate vixit, illam dicit constanti et plena fide amplectendam esse, quam Sancti Patres ex Scriptura Sacra, et Africana et Arausiana Synodus, et Pontifices Apostolicæ Sedis nobis tradiderunt. Ostendimus autem prædictas Synodos nullam gratiam physice prædeterminantem voluntatem, ut necessariam ad beatam vitam nobis tradidisse, imo multa docuisse illi necessitati et tali efficacitati repugnantia; ergo idem fuit spiritus et eadem mens illius Concilii Valentini. De Sanctis autem Patribus quos refert infra videbimus. Quia vero et maximorum Pontificum mentionem facit, de illis unum verbum hic adjiciendum est, quoniam eorum auctoritas ipsorum Conciliorum auctoritatem confirmat.

Pro divina gratia post exortam Pelagianorum hæresim, scripserunt Innocentius I, Cælestinus I et Leo I. — Scripserunt ergo peculiariter pro divina gratia post exortam Pelagianam hæresim Innocentius I, in epistola vigesima quinta, vigesima sexta et vigesima septima; Cælestinus I, in epistola prima ad Episcopos Galliæ, et Leo I in epistola octogesima quarta, et Leo IX in epistola ad Petrum Antiochenum. Ex quibus imprimis sumimus illud argumentum negativum, quod ex Conciliis fecimus, et est in hac materia ef-

ficatissimum, quia ab his Patribus omnia dogmata gratiæ vera et necessaria nobis traduntur; nullam autem faciunt mentionem auxilii prædeterminantis, nec plura requirunt quam a citatis Conciliis tradantur, nimirum, auxilium præveniens et cooperans seu subsequens, quæ ad bene operandum necessaria sunt; docentque hæc auxilia, et in universum Dei gratiam gratis nobis dari, quia initium omnis boni operis ad pietatem pertinentis, et omnis meriti, a divina gratia gratis nobis data sumi necesse est. Quod maxime intelligere licet ex epistola Cælestini, ubi summam omnes sententiæ, in quibus doctrina fidei ad gratiam pertinens continetur, referuntur ex Innocentio Papa, et Africanis Conciliis, et aliquid additur ex Zosimo Papa, quod in ejus decretis nunc non habemus. Et in fine subduntur illa verba: *Profundiores vero difficiliioresque partes occurrentium questionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus et struere; quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundum prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt.* Et quamvis non sit omnino certum an hæc verba sint Cælestini Papæ vel Prosperi, quia prius videtur Cælestinus epistolam suam duobus capitibus brevibus concludere, et reliqua fuisse a Prospero addita et collecta, nihilominus et verba Prosperi per se magnam auctoritatem habent, et illa communi consensu ita recepta videntur ac nomine et auctoritate Cælestini conscripta. Unde Hormisda Papa in quadam epistola regulas illas tanquam ab Apostolica Sede emissas amplecti videtur. Itaque cum in illis nulla sit mentio prædeterminantis auxilii, saltem ex illis ultimis verbis aperte concludimus dogma illud non esse ex his quæ ad necessitatem gratiæ ejusque infallibilem veritatem pertinent. Unde cum alioqui et intellectu sit difficillimum, et adeo repugnans tum libertati arbitrii, tum sufficientiæ gratiæ sine tali determinatione, cumque consequenter inducere videatur prædestinationem ad malum quam specialiter detestatur Leo IX, in dicta epistola, merito illud dogma omnino alienum a Pontificia et Ecclesiastica doctrina reputamus.

CAPUT XXXIII.

DE ARGUMENTO SUMPTO EX ERRORE PELAGII, ET EX LIBRIS SANCTI AUGUSTINI DE GRATIA CHRISTI ET DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO.

Expendimus Scripturæ Sacræ, Pontificum et Conciliorum testimonia; accedimus jam ad sententias Sanctorum Patrum considerandas; unaquæque enim sententia eas in suum patrocinium afferre et deducere conatur. Incipimus autem ab Augustino, quoniam occasione Pelagiani erroris profundius et copiosius quam cæteri de divina gratia disputavit, ejusque doctrina in hac parte maxime est a Conciliis et Pontificibus approbata. Propter quod etiam proluxiores aliquantulum erimus in ejus sententia ac mente investiganda. Nam quod ipsum docuisse invenerimus, libentissime amplectemur; quod autem non docuit, etiam si illud aperte non negaverit, non putamus facile esse admittendum, quia credimus omnia necessaria de auxiliis gratiæ docuisse; quod autem non solum non docuit, verum etiam rejecit, seu negavit, a nobis etiam cavendum est. Quia vero ex contrario errore ejusque impugnatione magnum iudicium sumi potest de modo auxiliorum gratiæ, quæ Augustinus necessaria esse existimat, ideo ab his libris initium sumimus, in quibus maxime videtur Augustinus declarasse errorem Pelagii, et punctum omnino necessarium ad illum errorem vitandum distinctius attigisse.

Argumentum auctorum physice prædeterminationis sumptum ex errore Pelagii. — Ex hoc ergo capite, auctores physice determinationis in hunc fere modum argumentantur: Pelagius agnovit et confessus est illam gratiam internam, quæ consistit in divinis illuminationibus et inspirationibus, et per eam præveniri hominem et excitari ut operetur, et juvari cum operatur, et nihilominus damnatur ab Augustino, quia non admittebat auxilium quod Deus dat homini, non solum posse, sed etiam velle, et operari; ergo Augustinus ad veram gratiam confitentem judicavit necessarium ponere auxilium prævium, quod non tantum det posse, vel juvet possibilitatem naturæ, sed etiam det ipsum velle et bene agere. Ac proinde judicavit necessarium esse ut hoc auxilium infallibiliter et inseparabiliter secum afferat velle et operari. Nam si contingere posset hominem habere hoc auxilium, et non actu operari nec velle, jam tale auxi-

lium daret posse, non vero agere; ergo juvaret possibilitatem et non actionem; ergo non esset majus auxilium quam a Pelagio poneretur.

Totum hoc argumentum sumptum præcipue est ex libro primo de Gratia Christi. Nam in capite tertio illius libri, explicando errorem Pelagii, dicit illum tria in nobis distinxisse, scilicet, possibilitatem, voluntatem et actionem, et de possibilitate asseruisse esse a solo Deo. Intelligebat autem esse a solo Deo ut auctore naturæ, nam illam possibilitatem naturalem esse censebat. Fatebatur tamen esse possibilitatem invalidam, ac proinde semper indigere Dei adjutorio ad volendum bonum, malumque vincendum. Unde constat admisisse Pelagium necessitatem gratiæ adjuvantis. De præveniente vero per divinas illuminationes, addit Augustinus, in capite septimo, hæc verba ex ipso Pelagio: *Adjuvat nos per doctrinam et revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis ne præsentibus occupemur futura demonstrat, dum nos multiformi et ineffabili dono gratiæ cælestis illuminat.* Per quæ verba, saltem per ultima, satis declarat excitantem gratiam, quam Concilium Tridentinum etiam dixit esse illuminationem per quam Deus tangit cor hominis. Unde sine dubio est gratia præveniens, etiam ex mente Pelagii, et ideo dicebat per illam juvari possibilitatem naturæ, quia prævenit ipsum velle et operari, et sublevat voluntatem ut possit perfecte velle et operari; et hoc vocavit Pelagius juvare possibilitatem naturæ. Atque ita satis videtur probata prima propositio argumenti facti, quod, scilicet, Pelagius admiserit ea auxilia gratiæ adjuvantis et prævenientis, quæ nos ponimus. Altera vero pars, nimirum improbari ab Augustino, quia non admittit gratiam efficaciter prædeterminantem hominem ad velle et operari, satis videtur probari a sufficienti enumeratione, quia nullum aliud superest caput unde cum illo contendere potuerit. Item ex ratione insinuata, quia quamdiu auxilium hujusmodi non est, juvat possibilitatem, non operationem. Item ex verbis ejusdem Augustini, præsertim c. 10, ubi post omnem declarationem gratiæ quam Pelagius afferebat, subdit: *Nos eam gratiam nolumus, id est (ut interpretor) illa contenti non sumus; istam aliquando fateatur, qua futura gloriæ magnitudo non solum promittitur, sed etiam creditur et speratur, nec solum recelatur sapientia, verum etiam et amatur, nec suadet solum quod bonum est, verum etiam*

persuadetur; et concludit: *Hanc Dei gratiam fateatur Pelagius, si vult non solum vocari, sed etiam esse Christianus.* Ubi constat Augustinum eam gratiam requirere, quæ ab actu infallibiliter non separatur, ac proinde perse et intrinsece efficacem, quæ ita suadeat ut persuadeat, ita inspiret ut amare faciat.

Quin potius indicat hanc solam esse veram gratiam, et omnem aliam quæ ab actu seu consensu separatur, non transcendere rationem legis et doctrinæ. Nam in loco proxime citato, in sola illa gratia efficaci videtur distinguere errorem Pelagii a sua doctrina, et subjungit: *Non enim omnium est fides, sed eorum quibus Christus dixit: Nemo venit ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum; at vero de non credentibus dicit: Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.* Sentit ergo non recipere veram gratiam internam, nisi qui recipit ipsum donum credendi vel amandi, et similia. Imo, capite duodecimo, indicat gratiam illam, qua virtus in infirmitate perficitur, esse propriam prædestinatorum, qui secundum propositum vocantur, et subjungit: *Qua gratia agitur, non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus, nec solum ut diligenda credamus, verum etiam ut credenda diligamus.*

Et addit capite decimo tertio: *Hæc gratia si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius et interior eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos qui plantant et rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, sed etiam impertiat charitatem.* Ecce semper vult istam gratiam talem esse ut sortiat effectum conversionis. Unde subjungit: *Sic enim docet Deus eos, qui secundum propositum vocati sunt, simul donans et quod agant scire, et quod sciant.* Et, quod difficilius est, sentit omnes eos, qui non ita vocantur, non accipere veram gratiam; sic enim ait: *Qui autem novit quidem quid fieri debeat, et non facit, nondum a Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem, non secundum spiritum, sed secundum litteram; sed per Spiritus gratiam, ita docet ut quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendo perficiat.* Non ergo videtur aliam veram gratiam agnoscere, nisi illam quæ per se efficax est.

Denique, in fine capituli decimi tertii, tacite respondere videtur argumento sæpe a nobis repetito, quod talis gratia tolleret libertatem, dicens: *Præceptum quippe liber facit, qui li-*

bens facit, quasi dicat hanc gratiam non auferre, imo secum afferre magnam virtutem in credendo et operando ex charitate, quæ maxime delectatur esse sub lege, et ideo maxime libera est, ac proinde talis gratia non aufert sed perficit potius libertatem. Hinc frequens est apud Augustinum, in omnipotentis Dei manu esse, quo voluerit, quando voluerit, et ubi voluerit, humanam vertere libertatem, et hoc negare, contra divinam omnipotentiam esse existimat, ut patet ex Enchiridio, capite nonagesimo octavo, et dicto libro primo de Gratia Christi, capite vigesimo quarto, et vigesimo quinto, et latius libro de Gratia et libero arbitrio, capite vigesimo, et vigesimo primo, ubi hoc ita exaggerat, ut dicere videatur non solum ad bonum, sed etiam ad malum, convertere Deum voluntates hominum, ineffabili potestate agendo et operando in cordibus eorum. Quæ omnia eo tendunt ut repugnet ac resistat Pelagio existimanti internam gratiæ operationem repugnare libertati; quod ille maxime existimavit de illa gratia, quæ facit nos facere; Augustinus vero ait posse id facere etiam efficacissime perficiendo libertatem, dum auget voluntatem.

Ad hæc vero omnia nos imprimis dicimus ex errore Pelagii, ejusque impugnatione nihil colligi posse quod faveat doctrinæ de physica prædeterminatione. Neque etiam ex doctrina Augustini, quam occasione illius erroris in citatis libris de Gratia Christi et de Gratia et libero arbitrio tradit, nisi velimus tres graves errores Augustino imponere, contra ejus mentem et doctrinam aliis locis magis explicatam. Primo ergo quod ad Pelagium attinet, neque ille veram gratiam excitantem et adjuvantem ad pietatis opera necessariam confessus est, neque error ejus in eo fuit, quod gratiam per se efficacem et voluntatem humanam prædeterminantem negaverit; si enim in hoc solum erravit circa auxilia gratiæ, illius error neque in Concilio Milevitano, neque in Arausicano satis damnatus est, cum nulla de hoc articulo facta fuerit mentio in illis Conciliis, ut supra visum est; imo ejus doctrina a Concilio Tridentino quoad hanc partem fuisset approbata, quatenus positus gratia adjuvante et excitante, negat talem prævenientem gratiam cui resisti non possit. Unde qui Pelagii errorem sic exponunt, dum student nostram sententiam hæreticam ostendere, potius ipsum Pelagium Catholicum faciunt.

Præterea repugnat hoc expresse divo Augustino, tum aliis in locis, tum maxime in his libris in quibus nunc versamur. Tres enim errores ad hoc punctum de auxiliis gratiæ prævenientis ubique illi tribuit. Primus est, quod, quaecumque auxilium gratiæ posuerit, non ut veram gratiam, sed ut rem nobis debitam et meritis nostris retributam posuerit. Secundus est, quod quaecumque etiam adjuvatorium gratiæ agnoverit, non credit esse necessarium ad bene operandum, neque ad servanda omnia præcepta, sed solum ad facilius; dicendo enim facilius (ait Augustinus libro de Hæresibus, capite octogesimo octavo), voluit, etiamsi difficilius, tamen posse homines sine gratia divina facere justa; illam vero gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis a Deo accepit nostra natura. Idem constat ex eodem Augustino, libro primo de Gratia Christi, capite tertio et sexto, præcipue vero capite vigesimo sexto, et trigesimo primo. Tertius error, et ad rem præsentem maxime spectans, fuit quod veram gratiam interiori adjuvantem et cooperantem non agnovit, nec unquam confessus est. Quoniam vero hæc gratia partim in intellectu est, partim in voluntate, de illa quæ ad voluntatem spectat, certius est illam semper negasse; unde Augustinus, dicto libro primo de Gratia Christi, capite tertio et decimo, dicit asseruisse Pelagium, Deum juvare voluntatem solum ostendendo quid facere debeat, non tamen cooperando et inspirando; quæ duo verba notanda sunt. Nunquam enim dicit Augustinus errasse Pelagium, quia negavit Deum juvare voluntatem prædeterminando illam, sed quia negavit juvare inspirando et cooperando; et quia hac ratione soli libero arbitrio tribuit bene velle aut bene agere; Deo autem, quod dederit potestatem hæc agendi condendo naturam, ut in capite sexto ejusdem libri late declarat. Unde in capite trigesimo nono, sic inquit de Pelagio: *An credat aliquod adjuvatorium bene agendi adjunctum naturæ per inspirationem flagrantissimæ et luminosissimæ charitatis, non apparet omnino.*

De interno vero gratiæ auxilio pertinente ad intellectum, majus dubium esse potest an illud cognoverit Pelagius, saltem ut utile seu ad facilius operari. Quod dubium ad summum nascitur ex verbis ejus commemoratis ab Augustino, in d. capite septimo, ut supra retulimus. Et quamvis hoc daremus, non

propterea liberarem eum ab errore, tum subjiciendi hanc eandem gratiam meritis humanis, tum negandi necessitatem ejus, tum ulteriorem gratiam, et interiori adjuvatorium gratiæ voluntatis. At vero Augustinus, qui verba Pelagii diligentissime inquisivit et ponderavit, ut sensum ejus erueret, tandem agnovit illum etiam in intellectu non posuisse verum internum adjuvatorium gratiæ, sed solum externum quod in tribus vel quatuor rebus constituisse videtur. Primo in lege, secundo in revelatione, tertio in doctrina vel scripta vel voce tradita, quarto in exemplo præsertim Christi Domini Nostri. Hoc constat ex dicto libro primo de Gratia Christi, capite tertio, et septimo, trigesimo quinto, trigesimo nono et sequentibus; ex libro de Gratia et libero arbitrio, capite undecimo, et in dicto loco de Hæresibus. Itaque non aliter putavit Pelagius illuminari intellectum nostrum per gratiam Dei, quam illuminetur discipulus ab homine præceptore suo, proponendo scilicet exterius objecta, et explicando illa vel rationes eorum, non tamen interiori dirigendo intellectum ipsum, ad concipiendas res divinas illi exterius propositas, modo accommodato et apto ad illis supernaturaliter assentiendum; et ad hunc ipsum assensum confortando intellectum et voluntatem, ac illis cooperando. Vera autem illuminatio gratiæ ad intellectum spectans in hoc auxilio interiori consistit; quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Et propterea dicit Augustinus in dicto libro primo de Gratia Christi, capite decimo tertio: *Hæc gratia, si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius et interiori cum ineffabili suavitate Deus credatur infundere, non solum per eos qui plantant et rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum.*

Pelagius ergo non solum erravit negando propriam et intrinsecam gratiam adjuvantem voluntatem, sed etiam negando illam quæ intimo et occulto modo juvat intellectum, solumque posuit ea quæ pertinent ad institutionem veluti extrinsecam et objectivam intellectus; quæ omnia dicit Augustinus pertinere ad legem et doctrinam, non ad gratiam. Unde in hoc etiam videtur reprehendere Pelagium, quod legem, revelationem aut doctrinam gratiam appellaverit: quia Paulus, in tota Epistola ad Roman. et ad Galat., legem a gratia distinguere videtur, ita ut lex sine gratia occasionem potius mortis afferat, quam vitam conferat; ad quod videtur etiam allusisse Joannes, capite primo sui Evangelii, dicens:

Lex per Moysen data est, gratia vero per Jesum Christum facta est. Quam argumentandi rationem contra Pelagium prosequitur Augustinus, dicto libro primo de Gratia Christi, capite octavo, nono et sequentibus. Verumtamen, si generaliter loquamur de gratia prout significat donum Dei gratis collatum et ad vitam æternam conferens, non videtur dubium quin etiam lex supernaturalis divinitus collata possit gratia censi et nominari, quia est magnum Dei beneficium per se multum juvans ad salutem. Ita in Scriptura censetur Deus magnam gratiam fecisse populo Israel illum eligendo, ut suam legem ei potius daret quam aliis gentibus; quod significasse videtur Paulus, ad Roman. tertio, dicens: *Quid ergo amplius Judæo est, aut quæ utilitas circumcissionis? multum per omnem modum. Primum, quia credita sunt eis eloquia Dei.* Fuit ergo hoc peculiare beneficium supernaturale ac gratuitum, ac proinde gratia, ac proinde revelatio divina et supernaturalis doctrina sub hac generali ratione potest gratia appellari. Tamen, quia Pelagius abutebatur hac voce gratiæ ad occultandum suum errorem et negandum proprium adjutorium gratiæ, quo juvamus ad credenda revelata, et speranda promissa, et ad servanda præcepta, ideo recte Augustinus admonet legem et doctrinam ita nude sumptam et excludentem spiritum gratiæ, non mereri nomen gratiæ. Atque ita concludit præter legem et doctrinam necessarium esse internum auxilium gratiæ, tam ad credendum quam ad bene volendum vel operandum in ordine ad æternam salutem.

Sed videamus jam utrum Augustinus, ad evitandos prædictos Pelagii errores, inclinaverit in aliud extremum, ponendi internum auxilium Dei prædeterminans voluntatem humanam ad singulos actus. Certe refutatio erroris Pelagii hoc per se non postulabat. Nam si possibile est internum Dei auxilium distinctum a lege et doctrina, quod tale sit, ut non solum per illud discamus quid agere debeamus, sed etiam juvemur ad illud implendum, per illud sufficienter receditur ab errore Pelagii, juxta doctrinam Augustini, dicto libro, præsertim capite septimo. Quod verum erit, etiamsi tale auxilium non prædeterminet voluntatem. Sed potest optime intelligi et dari internum auxilium vere adjuvans dicto modo absque tali determinatione, ut per se videtur evidens et in superioribus ostensum est, et patet in habitu charitatis, quod juvat illo modo voluntatem sine tali

physica prædeterminatione divina; ergo confutatio erroris Pelagii per se non postulabat illud auxilium prædeterminans, sed tantum vere et interne adjuvans; ergo non est cur Augustino tribuatur talis auxilii prædeterminantis assertio, ex eo solum quod prædictos Pelagii errores arcte impugnaverit, cum verba ejus non amplius requirant quam ad extirpationem illius erroris necessarium sit.

Atque hunc discursum confirmant optime verba ejusdem Augustini, capite quadragesimo septimo ejusdem libri: *Quantum attinet ad istam de divina gratia et adjutorio questionem, si Pelagius consenserit non solum possibilitatem, sed etiam voluntatem et actionem divinitus adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus et agamus, eamque esse gratiam Dei per Jesum Christum Dominum Nostrum, nihil de adjutorio Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquatur.* Igitur ad confutandum Pelagium, nihil aliud Augustinus requirit nisi verum gratiæ adjutorium. Verbum autem adjutorii tantum abest ut prædeterminationem requirat, ut potius contra illius rationem esse videatur. Nam, ut alibi idem Augustinus dixit, nemo adjuvatur nisi qui aliquid sponte conatur; adjutorium ergo ad velle et operari non consistit in actione aliqua vel prædeterminatione quam Deus solus faciat, sed in actuali cooperatione speciali cum ipso libero arbitrio ad volendum et operandum. Quæ cooperatio Dei ut sic nihil omnino agit sine cooperatione liberi arbitrii, ut ipsa vox cooperandi vel juvandi indicat. In quo valde differt a prædeterminatione quam solus Deus in voluntate facere dicitur. Quod adeo verum et certum est, ut, licet daremus talem determinationem esse necessariam, et fieri a solo Deo in voluntate prius natura quam ipsa operetur, nihilominus in posteriori signo naturæ, in quo jam voluntas intelligitur operans, necessario etiam debet intelligi Deus cum illa cooperans; quia illud quod voluntas facit supernaturale est, et nihil supernaturale potest ipsa sola facere, nisi a Deo per gratiam actualiter adjuvetur. Est ergo hoc adjutorium ponendum sive prædeterminatio præcedens necessaria sit, sive non. Ergo cum Augustinus hoc solum adjutorium requirat ad vitandum errorem Pelagii, nulla suspicio illius determinationis ex hac ejus doctrina sumi potest.

Dices: hoc argumento probaretur nullam prævenientem gratiam esse necessariam, sed adjuvantem tantum; quia Augustinus citato

loco solo adjutorio Dei contentus est. Respondeo imprimis cavendum esse æquivocationem in nomine gratiæ adjuvantis; sæpius enim proprie, et quasi specificè sumitur ad significandam cooperantem gratiam, ut a præveniente distinguitur; quomodo sumitur maxime in Concilio Tridentino, et fere jam in communi usu, qui etiam est frequens apud Augustinum. Sæpe vero idem Augustinus dicit voluntatem adjuvari cum a Domino præparatur, quod pertinet ad gratiam prævenientem, et ita sæpe illam complectitur sub adjutorio gratiæ, quomodo intelligi possunt citata verba. Adde vero Pelagium distinxisse adjutorium possibilitatis, id est, potestatis voluntatis quasi in actu primo, ab adjutorio actualis volitionis seu actionis, admisissetque primum adjutorium, et negasse secundum. Augustino autem non displicuit distinctio, imo tacite illam videtur hoc modo explicare, ut omne auxilium quod datur voluntati prius quam velit, et quamvis actu non velit, dicatur adjuvare tantum posse, et non velle aut agere, atque ita esse adjutorium solius possibilitatis, et non in hoc reprehendit Pelagium, quod illud adjutorium possibilitatis posuerit, sed quod, ultra illud, adjutorium operationis seu voluntatis negaverit; ob hanc ergo causam in illo loco jam non requirit a Pelagio nisi adjutorium cooperans ad volendum vel agendum, quia jam supponit adjutorium ad posse; tale autem est auxilium præveniens, ut sic, quantum est ex generali ratione sui. Et ideo illud non excludit Augustinus, sed supponit potius, et ultra illud requirit actuale adjutorium.

Instantia. — Instabis, quia hinc sequitur agnovisse Pelagium veram gratiam prævenientem et excitantem, quia Augustinus, in illo c. 7, nihil aliud ab eo postulat, nisi ut, ultra omnia quæ jam fatebatur, admitteret ut necessarium actuale adjutorium cooperantis gratiæ; ergo in tota doctrina quæ pertinet ad prævenientem gratiam non errabat. Respondetur negando sequelam; quia, licet verbis admitteret adjutorium possibilitatis naturæ, revera non ponebat illud ut gratuitum, neque ut necessarium, et, quod caput est, neque ut vere internum, et consequenter neque ut collatum per verum spiritum prævenientis gratiæ. Hic autem error et alius, quo negavit necessitatem adjutorii cooperantis, ex eodem principio manarunt. Putavit enim voluntatem humanam per se et natura sua habere sufficientes vires ad efficiendos quoscumque actus

necessarios ad salutem, si objecta eorum per intellectum sufficienter proponantur. Et similiter existimavit intellectum humanum per sese habere vires sufficientes ad credendas et intelligendas quascumque veritates necessarias ad salutem, et bene judicandum de omnibus agendis vel præceptis, si per sensus et objecta vel signa externa sufficienter applicentur, id est, per Scripturas, per verba, vel facta, aut exempla. Hac ergo ratione negavit necessitatem adjutorii actualis, in quo incertum est an negaverit etiam necessitatem concursus Dei, ut primæ causæ; sed, quod ad præsens refert, satis est quod negaverit necessitatem specialis cooperationis Dei ad opera pietatis, quia si facultates hominis habent sufficientes vires ad illos actus, ut ipse putabat, non est cur indigeant auxilio extrinseco specialiter adjuvante, quidquid sit de auxilio generali. Hinc autem consequens est ut etiam negaverit verum auxilium præveniens proprie adjuvans ipsum posse. Nam cum ipse tribueret voluntati integras vires ad volendum et operandum quidquid pietatis est, non potuit postulare vel agnoscere tale adjutorium possibilitatis, quod esset necessarium ad posse, seu, quod idem est, quod det vel compleat ipsum posse. Solum ergo ponebat adjutorium ad melius esse seu ad facilius posse. Sicut nos dicere possumus de habitibus acquisitis, quod adjuvant naturalem potestatem, non dando illam, sed dando facilitatem. Imo Pelagius minus perfecto modo ponebat illud adjutorium possibilitatis, quia non putabat esse aliquod principium per se operans, seu operativum cum ipsa potentia, sed esse solum legem vel doctrinam quæ se habet per modum applicationis objecti, seu materiæ circa quam, quæ est veluti conditio quædam conferens ad facilitatem in operando, si major seu melior sit. Verum autem adjutorium possibilitatis, quod non tantum per legem et doctrinam, sed per internum spiritum gratiæ datur, ita juvat, ut det etiam ipsummet posse, vel totum, vel saltem altiori et principaliori modo, juxta illud: *Sine me nihil potestis facere.* Et hoc adjutorium est quod datur per veram gratiam prævenientem. Et si quis recte consideret, separari non potest a vera necessitate gratiæ concomitantis. Nam si hoc adjutorium cooperans necessarium est, idcirco est quia nostræ potentiæ non habent ex se sufficientes vires ad tales actus; ergo necesse est ut, priusquam operentur, vires accipiant ad operandum; ergo necesse est ut præveniantur